



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **AMERICA LATINA ATQUE FOEDERATAE  
CIVITATES MEXICANAE\***

EXARCHATUS APOSTOLICUS PRO FIDELIBUS RITUS ARMENII  
IN OMNIBUS DITIONIBUS AMERICAЕ LATINAE ATQUE FOEDERATARUM  
CIVITATUM MEXICANARUM COMMORANTIBUS CONSTITUITUR

Armeniorum fidelium coetum per omnes Americae Latinae dictiones atque in Mexico commorantium, eorum scilicet qui decursu temporum ob diversas vicissitudines, propriis relictis regionibus, ad novam sedem residentiae et operis inveniendam Americam Latinam petierunt, incrementa cepisse libenti animo accepimus ; qua re opportunum visum est eorum omnium precibus concedere, qui ut ab Apostolica Sede peculiaris Exarchatus Apostolicus conderetur petierunt. Ex sententia igitur sive Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium qui Sacrae Congregationi pro Ecclesiis Orientalibus praeponuntur, sive Venerabilis Fratris Hemaiah Petri XVII, Patriarchae Ciliciae Armeniorum, eiusque Synodi, sive denique uniuscuiusque cuius interest, Nos, re bene considerata, suprema Nostra potestate qua pollemus Exarchatum Apostolicum pro fidelibus ritus Armenii per omnes dictiones Americae Latinae atque Foederatarum Civitatum Mexicanarum commorantibus condimus. Suademus praeterea ut Consultores exarchales eligantur qui, una cum Syncello, Praesuli in gerendis negotiis assistant. Mensam exarchalem constituent sive pecuniae a fidelibus sponte oblatae, sive paroeciarum tributa, sive bonorum redditus ad exarchatum sequenti tempore obvenientium, nec non subsidia a Sacra Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus et a Patriarchatus administratione in ipso initio largienda. De pueris autem adolescentibus, qui ad sacerdotium Dei instinctu vocentur, statuimus ut ad Seminarium minus ritus Armenii in loco erigendum mittantur, ut rite instituantur et sacerdotio inicientur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; contrariis quibuslibet nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo primo, Pontificatus Nostri tertio.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

LADISLAUS Card. RUBIN  
*S. Congr. pro Eccl. Orientalibus Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Liborius Scaccia, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. LXXIV (1982), n. 1, pp. 5-6

© Copyright 1981 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana